

**Dissertationem inauguralem de acido insonte / ... p[ublice] p[roponit] Jo.
Paulus Kreschellius.**

Contributors

Kreschel, Johann Paul.
Berger, Johann Gottfried von, 1659-1736.
Universität Wittenberg.

Publication/Creation

Vitembergae : Prelo viduae Gerdesianae, [1715]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kjya6c7p>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO

DN. FRIDERICO AVGVSTO

ELECTORAT. SAX. HEREDE

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

DE

ACIDO
INSONTE

PRAESIDE

IO. GOTHOFREDO BERGERO

ARCHIATRO REGIO

COLLEGII MED. SENIORE ET PROF. PRIM.

PRO LICENTIA

IMPETRANDI

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES

P. P.

IO. PAVLVS KRESCHELIVS

ZITTAV. LVSTAT.

A. D. IVL. CLIO CC XV.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

VITEMBERGAE

PRELO VIDVAE GERDESIANAЕ

ON FRIDERICCO AVGVSTO

ELECTORAT. SAX. HERED.

DISSERTATIONEM INVALENTIALEM

ACIDO

INSONTE

O. GOTHORFEDO BERGRO

ARCHIATRO REGIO

COLLEGIUM MED. BRUNNENSIS PRIN.

PRO DOCTOR

IN MEDICINA

PRIMUM IN ARTE ANATOMIAE HONORIS

IOHANNES KARLUS GEBELIUS

PRINCEPS. BRUNNENSIS

A. D. 1771. MDCCCLXXI.

IN VINDOBONA

PRINT. P. J. NEUBAUER

NATHEMBERG

BRUNNENSIS

DE

ACIDO

INSONTE

DISSERTATIO INAUGVRALIS

I.

Vt maximo Dei immortalis beneficio salutis mortalium data est Medicina, ac inter scientias, præsertim eas, quas notatio naturæ atque animaduersio peperit, primum sibi locum vindicat: sic facile

intelligentibus patet, a sectis Philosophorum, siue a solertia & subtilitate differendi nomen habeant, siue ab experimentis, ipsoque igne, uocari malint, eam re ipsa seiungi. Est uero singularis quædam Philosophia in Medicina, quæ non leuibus coniecturis, & opinionibus, atque principiis Physicorum, quibus in naturæ secretiora penetrare nituntur, continetur, sed certis fideisque obseruationibus phænomenorum, quæ in sanis, ægrisque, folius ui naturæ, uel rerum usu salubrium, atque his contrariarum, eueniunt, tot seculorum decursu, inter tot nationes, ab insignibus arte & doctrina uiris, constanter & perpetuo continuatis, constat, atque ex iis, cum aliis collatis, quid futurum, quid faciendum, fugiendumque sit, colligere docet, neque, ut de religione Medicorum existimant insipientes, ad atheismum ducit, sed prouidentiam Dei & curam in rebus humanis tam manifeste aperit, ut nulla ingenii sagacitas altiore diuinitatis notam mentibus inurere, acutioremque eius operationis sensum cordibus imprimere, quam obseruatio medica, uideatur. Nam siue opificium hominis intueamur, siue in morborum cognitione, curationeque, uersemur, & illam mirificam uarietatem

tem uirium, in res nascentes summa arte ac sapientia sparsam, contemplemur, præsens ubique, & beneficum uidemus Numen, & mundum hunc diuina prouidentia constitutum esse, eaque gubernari, conuicti fatemur.

II.

Quo magis apparet, operam adhibendam esse, ut hanc sinceram colamus salutarem disciplinam, cui ualetudinem, spemque uitæ, commissam uolumus, nec quicquam admittamus eorum, quæ eam magis, quam deceat, coniecturalem, uel tantum opinabilem, & infidam, fallacemque, reddere queant. Quorsum quidem præcipue hypotheses pertinere, unusquisque uidebit, qui, sicuti, hunc earum usum in aliis scientiis esse, ut probetur, fieri posse id, quod fieri non posse, aliis persuasum sit, obseruat, ita in facienda medicina, a cuius recto, aut peruerso, usu uitæ necisque ratio pendet, locum iis nullum esse, animaduertit. Hæc perspicuens, *Hippocrates*, & secum reputans, repertis usu medicinæ remediis, homines de rationibus eorum differere coepisse, nec post rationem inuentam esse medicinam, sed post inuentam medicinam rationem esse quæsitam,

tam, primus quidem ex omnibus, memoria dignis, ut auctor est *Celsus, Med. lib. I, præfat.* ab studio sapientiæ, quocum coniuncta aliquandiu fuerat, disciplinam hanc separavit, quo nimirum eam, pictura & imaginibus rationis solutam, & tutam, atque sectarum iugo ac servitute liberatam, quasi-que manumissam, ad liberæ veritatis, quæ una & simplex est, sanctitatem castigaret, & puram, fidam, securamque redderet. Sed dolendum est magnopere, non ita rem perficere virum sapientissimum potuisse, quin posterius, novitatum & contentionis cupidiores, quam veritatis, tritam ab eo viam relinquerent, & alii post alios, receptis ex varia Philosophia, Chemiaque, variis novis dogmatibus, suis quique erroribus delectarentur, quoad ea hypothesium copia, & dissimilitudine, ac inconstantia laborare inciperet optima disciplina, ut pene in opprobrium falsarum opinionum, uanarumque coniecturarum apud multos ueniret.

III.

De cunctis, quibus implicita & corrupta est Medicina, hypothesibus cum longum sit dicere, neque id temporis & instituti ratio permit-
tat,

tat, seposito iam ceterarum cumulo, de uno saltem hic acido agam, cui quippe tantum hodieque tribuit multorum persuasio, ut ex eo in statu naturali multas uitæ functiones, in statu uero præternaturali multa morborum genera deduxerint, atque hanc ueluti malorum sedem & radicem contrariis euellendam remediis putarint.

IV.

Quod dum facere ingredior, in definienda particularum, in quibus sita sit natura acidi, figura ac dispositione nihil laborabo, sed id acuminis speculatorum naturæ, prout par est, libenter relinquam, cum optime norim, facilem in minimis tenuissimisque, quæ sensum fugiunt, rebus lapsum, eumque expertem periculi in foro Physicorum, esse, siue eæ, quas dixi, particulæ acicularum, utrinque acuminatarum, siue cultellorum, aut gladiolorum instar, siue alio se modo habeant, & agant, &, cum alia, quæ uel ex Philosophia, uel ex Chemia, huc afferuntur, sint incerta omnia, illud sensus experimento certissimum manere, acidum dicendum esse, quod gustatu tale percipitur. Neque uero de acido naturali, uel
cor-

corpori connato, quicquam monendum puto, cum a *Boyllo*, *Pitcarnio*, *Listhero*, & aliis, iamdum demonstratum sit abunde, acidum in sanguine, ex eoque manantibus succis, & in uisceribus, ac partibus solidis omnibus, insitum, natura nullum reperiri, atque tantillum acidi, quod ex libris quinquaginta sanguinis humani se magno labore elicuisse, gloriatur *Raymundus Vieussens*, *epist. de hum. sangv.* labore quidem illo haud dignum, & non sanguinis, sed uel salis cibarii, uel additi in destillatione boli, uel utriusque, sobolem, ui ignis productam, esse.

V.

Illud mihi in præsenti dignum disquisitione uisum est, iurene, an iniuria, acidum tam male uulgo audiat, ut plurimorum origo morborum habeatur, cum ea opinio ita multorum animis infideat, ut suam acidis quasi rempublicam in corpore humano constituent, & uix auditis, nedum pensitatis, ægrotantium querelis, & incognito adhuc morbo, ilico acidum & accusent, & damnent, atque contrariis expugnandum machinis, clamitent, ita ut omnem fere artis operam in acido absorbendo, inuertendo, edulcando, præ-

præcipitando, collocandam putent, & cum ex
culina, tum e medicina, proscribendum idem
esse, & cane peius ac angue, fugiendum cense-
ant. Qua in re tanto magis mireris, non uul-
gus tantum medicorum, sed prudentes etiam, &
doctos alioqui, uiros consentire, quanto certius
constat, multa alimenta, bene habente uentri-
culi oeconomia, in eodem natura acescere, ni-
hilque ideo damni afferre, ac, emergentem inde,
acorem, perspiratione motuque uentriculi & in-
testinorum, paulatim in muriam urinofam uerti,
nec temere cum chylo ad sanguinem commeare,
aut, quicquid eo perlatum fuerit, id circuitu san-
guinis, uel profligari e corpore, uel in salem uo-
latilem, salis cornu cerui æmulum, commutari.
Hoc ipsa nos tenerrima ætas doceat, in qua lac,
quo alitur, quodque facilime acescit, succum san-
guinemque optimum præbet, & nihil mali ob-
seruatur, quamuis atmosphæra eius ætatis, ut
Pechlinus, obs. phys. med. LI, lib. II, notat, pecu-
liarem nidorem, eumque pene acidum, redoleat,
illum nempe, quem putrescentis halitus lactis ge-
runt. Abit tamen cum ætate hic nidor, atque
cum lacte ponitur. Neque magis in reliqua æta-
te, digestionem alimentorum se halitu prodens,

acidum damnandum esse, quin aliquando bonæ potius concoctionis sit indicium, uetus est *Hippocratis* obseruatio, cum, in diuturnis lienteriiis, quibus cibi crudi, & ut assumti sunt, celeriter egeruntur, ructum acidum superuenientem, qui prius non fuit, signum esse bonum, literis consignatum reliquit, *Aph. I, sect. VI*, quia, ut recte *Listherus*, *Diss. de humor. cap. VI*, explicat, in uentriculo corruptionis concoquentis, siue putrefactionis, quæ defecit antea, principium fieri, significat. Permouit hoc multos, ut confectionem ciborum in uentriculo, fermenti cuiusdam acidi ope, peragi contenderent. Nam, *tale quoddam subesse*, alios inter scribit *VVillisius*, *Diatr. de ferment. cap. V*, *testantur ructus acidus in eupepsia, eius privatio in apepsia, febricitantibus, dysentericis &c. eius restitutio, conualescentiæ signum*. At ructus eiusmodi, nullius fermenti acidi, ut ille putat, documentum, sed instauratæ concoctionis ciborum, qua sæpe acidum emergit, indicium præbere, iam ante dictum est, & pridem alii docuerunt. Eodem pertinet eiusdem *sectionis Aphor. XXXIII*, quo idem Medicorum princeps, acidum ructantes, rarius pleuriticos fieri, annotauit. Causam, scienter

Listhe-

Liftherus l. c. adiicit, esse bonam uentriculi concoctionem, cuius acidus ructus fere perpetuum fit indicium. Sicuti enim ructus huiusmodi bonæ digestionis soboles sunt: sic, chylum satis tenuem & liquidum ad sanguinem deferri, significant, immunem lentore illo, a quo pleuritidem, febresque alias inflammatorias, existere, alia inter sanguis, uena secta missus, crassus, lentus, & pelliceus, docet. Id quod erroris sui commonere multos poterat, ac præsertim *CL. lac. Sponium*, cum *Obs. de febr. & febrifug. quæst. III*, raro eos, qui acidum eructant, pleuriticos fieri, opinatur, quod sanguis illorum crassior sit, minusque idoneus, qui uiolento impetu in latus decumbat, ibique inflammationem pariat.

VI.

Itaque in firmis etiam, & ualentibus uentriculis uinum, quamuis optimum, acidum spirare, comperimus, præclaro corruptionis concoquentis indicio. Idem cum cereuisia usu uenire solet, quæ proinde, quo citius acescit, hoc magis multis & arridet, & salubris habetur, ita ut, quod de plerisque Angliæ septentrionalibus regionibus *Liftherus l. c.* refert, in ipsa cereuisiæ

confectione populatim istum acorem subitarium uariis artificiis procurent, ad salubritatem, ut putant, conciliandam, quod scilicet minus negotii uentriculo creet, sed facilem in eo, ac necessariam, corruptionem subeat, nec difficulter per uias urinæ secedat. Eandem ob causam panis, probe subactus, atque egregie fermentatus, concoctioni, nutritionique aptissimus habetur, ut bene censuit *Plinius, H. N. lib. XVIII, cap. 2: Palamque natura est, inquit, acore fermentari farinam, sicut & ualidiora esse corpora, quæ fermentato pane utuntur*: fermento siquidem tenerescit, & leuior fit, atque, ut *Celsus ait, lib. II, cap. 28, facile intus corrumpitur*, sine quo pertinacius ac diutius digestionem resisteret, ac demum sua crassitie & lentore magnam corpori iniuriam afferret. Quæ qui recte æstimat, nihil esse causæ uidebit, cur tantopere fermentum uituperemus, aut, ne corruptelam accersat, pertimescamus. Nam sine concepta in uentriculo putredine crudum alimentum manet, & uel nihil mutatum, uel sua crassitie & lentore naturæ inimicum, & nec circuitioni, nec perspirationi, nutritionique corporis, satis idoneum, ad sanguinem defertur. Hoc uetus *Plistonici, Praxagoræ* disci-

discipuli, ut *Celsus* habet l.c. dogma fuit, omnium seculorum experientia ita comprobatum, ut, quod testatur *Galenus*, *Comm. in Aph. XXXIII, sect. 6*, cibos ueteres uocarint imputridos, quos nos crudos appellamus, usuque edocti, coqui, carnes, imprimis ferinas, putidas iam, aut putrefactioni uicinas, mensis magnatum apponendas curent.

VII.

Quodsi his addamus, acida uarii generis, ea-
que subinde satis fortia, ex familia tam ue-
getantium, quam fossilium, uentriculum sæpius
sat bene, magnoque & suo, & totius corporis
commodo, perferre, & domare, non ita eum
aspernari acidum, & abhorrere, putabimus, ut quo-
rundam est persuasio, neque adeo iustam in illud
de tot tantisque iniuriis omnem illorum quere-
lam & suspicionem esse, iudicabimus, quin, uti
suo loco declarabitur, sæpius fallacia non causæ,
ut causæ, hic committatur, atque insoni tri-
buatur acido, quod tono uentriculi læso, uel in-
tus collectæ uiscidæ, nidorosæ, aliusue peregri-
næ indolis, cruditati, uel plenitudini uasorum,
& motui sanguinis per ea inordinato, uel uisce-

ribus uicinis, aut diffitis, tribuendum erat. Haud multo aliam esse rationem illius acidi, quod intestinis, & uisceribus, membrisque aliis, negotium faceffere dicitur, pari modo alias exponetur. Neque uero temere iis assentiemur, qui, acidum ex primis uiis tam facile in uasis, & uisceribus, ac toto demum corporis habitu, colligi, & suum ubique ingenium, tanta cum pernicie, prodere, existimant, ut tam multa in animo & corpore mala patret, qualia ei recentiores, haud secus ac ueteres melancholiæ suæ, atræue bili, adscribunt, si mutationes illas, quas alimenta, in uentriculo & intestinis putrescentia, subeunt, ac deinde chylus, in uasa lactea transiens, mixtusque primo lymphæ, tum toti sanguinis massæ, perpetuo huius circuitu experitur, consideremus, & illorum indolem morborum, qui acido tribuuntur, ipsiusque naturam sanguinis, materia salina uolatili referti, & usu compertam medendi rationem, recte comparemus.

IIX.

Hæc animo & cogitatione comprehendens, autor eruditus *libri de purganda medicina a*
curar.

*curar. sordib. p. 72. aciditas, non incommode inquit, qua tam facile sanguis inquinari, creditur, fabella est, qua ventos pascunt, de cetero nullo ignis tormento obtinenda. At uero sanguinem moerore, & causis eius generis aliis, acescere, mera est fabula, in qua nec ueræ, nec uerisimiles res continentur, paria faciens cum balsamo, sanguini, non secus ac sal sui pro anima, natura dato, ne acescat, uel putrescat. Eodem iure meritoque referas acidum illud adeo decantatum, quod uel ex sanguine, & secretis ab eo succis, uel partibus ipsis solidis, putrefactione emergere, & grauissima ubique mala, ac præsertim febres, inflammationes, suppurationes, ulcera, cariem ossium, gangrænam, sphacelum, mortemque ipsam, tam certo patrare dicitur, ut, quod turpe dictu, ac uehementer dolendum est, in curationibus indicantis uicem sustineat, & contrariis alcalicis remediis corrigendum, fugandumque, perhibeatur. De hoc recte: *Mirum sane est, inquit CL. Io. Linderus, Exerc. de Venen. p. 77, Medicos quosdam tenere, quod omnis putrefactio det ex se salem acidum, quem tamen nulla adhuc unquam putrilago reddidit, nec imposterum ullo modo dabit. Et*
diffi-*

*difficile dictu est, quantum in hoc uno themate peccantes Practici in rem medicam mali introduxerunt, quamque multorum millium mortes hunc unicum errorem persoluerunt, & etiamnum quotidie persoluunt. Neque dubitat idem candidus uir pristinum errorem suum corrigere, & quod antea negarat, profiteri, putrefactionem omnem non in acidum, sed in alcali saponaceum acre terminari. Laudat etiam muliercularum experientiam, qua, sanguinem anserinum, aliumue, aceto infusum, a coagulo & putredine optime conseruari, didicerint. Profecto, qui alimenterum, quibus uescimur, indolem, & ipsam humorum, membrorumque, quibus constamus, naturam considerat, eam unius salis alcalici uolatilis foecundam, atque ad putredinem, eiusdem feracem salis, quam maxime pronam, deprehendet. Facit mecum doctissimus Boerhauius, cum, *Aph. de cognosc. & curand. morb. LXXXII: Putredo hæc, scribit, significat eam humorum conditionem, cuius præsentia aqua exhalat, salina materies attenuata, acido orbata, uel & mutata, fit acris, uolatilis, alcalina; oleosa pariter una parte tenuior, terra orba, sali illi acri permista, acris, uolatilis, foetens euadit; altera autem**

autem olei pars, terræ, aqua, sale, & oleo priori orbæ, permista tenacissime, abit in atram, densam, immeabilem, fæcem. Et Aph. sequenti addit, insecta, pisces, amphibia, animalia uolatilia, repentia, gradientia, natantia, homines denique, suopte ingenio in hanc putredinem sponte uergere. Quodsi alimenta in uentriculo & intestinis corruptionem debitam ac dissolutionem subierint, & in succum ac sanguinem, fibrasque corporis conuersa, nostraque iam facta sint, ulterius acescere nequeunt.

IX.

Sed quo minus dubitemus, plerarumque istiusmodi querelarum in opinione hominum esse culpam, non in acido, ad ipsos nominatim morbos, quorum illud fons & origo habetur, me conferam, atque a febribus incipiam dicere. Has duum esse generum constat, continuas alias, alias intermittentes, ac præcipuam utrarumque causam acido tribui, fermentationem in sanguine præternaturalem excitanti, satis Sponii, aliorumque illustrium uirorum opuscula, quæ ueram tradunt methodum febres china Chinæ curandi, testantur. Hic non exponam, fictam esse omnem,

C

tam

tam uitalem, quam febrilem, sanguinis fermentationem, quod satis id præstitum sit ab aliis, nec ulli fere incognitum amplius esse possit, sed a iuuantibus tantum petitam rationem, cum meliorem haud habeant, breuiter discutiam. Neque enim existimandum est, salia alcalia, & ea, quæ uulgo acidum absorbere dicuntur, his in febribus ea ui prodesse, ita ut inferre liceat, ubi medicamenta profunt alcalina, acidumque alterantia, ibi peccare acidum. Testatur quippe experientia, illa remediorum genera non una, sed uaria corpus alterandi uirtute gaudere. Ita notum est, in multis affectibus terrea atque testacea prodesse, ubi omnium consensu non acidus, sed nidorosus ac biliosus humor peccat, quem ea non uno alterare modo possunt, uti uidemus, species decocti amari, lixiuio, e testis ostrearum parato, incoctas, amaritudinem suam deponere, & subdulcescere. Præterea eorundem alterantium septica ui alia, atterente, ac dissolvente, adeoque diaphoretica, & diuretica, alia quoque roborante, tonumque uiscerum confirmante, pollent. Quo loco illorum opinio non prætermittenda est, qui uim pulueribus cretaceis, ac testaceis, ferro, & aliis, quæ uulgo absorbentia dicuntur, inesse
aci-

acidam humorum acrimoniam, ut loquuntur, dulcorandi, exinde nituntur probare, quod acetum, peracta illorum dissolutione, dulcescat: patet enim salem, quo imbuitur acetum, uel dissoluens aliud, absorbentibus uniri, atque liquorem relinqui quidem, acrimonia acida exutum, uerum absorbentia ista liquefacta ab adiuncto sale tam acria reddi, ut post præcipitationem exacta indigeant ablutione. Nimirum, ut, auctore *Leerwenhoekio*, microscopium docet, acor acetum non destruitur, & perit, neque poris eorum remediorum, tanquam uaginulis, includitur, aut aliquo modo ab iisdem absorbetur, sed salinæ acetum particulae inter se in crystallos coalescunt: quo fiat, necesse est, ut, quæ antea aqua solutæ, & agitatæ, innumerabiles salis particulae, in res obuias agebant, illorum mixtura remediorum, in pauculas, maioresque, coactæ crystallos, mutatione multitudinis, magnitudinis, motus, & figuræ, uim quoque ita sæpe mutant, ut uix amplius sentiantur. Qua tamen ratione coactas, concretasue acidas particulas, tum liquore motuque assumptorum, tum unius perspirationis uentriculi, concoctionisque putrefactivæ beneficio, in moleculas priores facile dissilire, suique reddi-

redditas iuris, pristinas agendi vires recipere, luculenter ostendit *Listherus l. c. cap. V*, & quiuis haud difficulter intelligit.

X.

Quodsi causas illarum febrium, & indolem omnium, quæ febrifuga dicuntur, remediorum, cum eorum effectis recte conferamus, id quidem clare apparebit, ea uel humorem crassum ac lentum dissoluendo, & circuitui sanguinis, excretionique, aptum reddendo, uel tonum uentriculi, & uiscerum aliorum, uasorumque, instaurando, uel ui utraque, id nominis promereri. Egregie *CL. Pitcarnius, Diss. de opera, quam præstant corp. acid. uel alcal. in curat. morb.* exemplo corticis Peruuiani, ac florum chamæmeli ostendit, neque acido, neque alcalico corpori curationem febrium deberi. Idem uero, opinor, illorum documento remediorum patere, quæ unione utriusque salis constant, tartari nempe uitriolati, arcani duplicati, salis prunellæ, salis ammoniaci, mixturæ ex spiritu nitri & salis ammon. uel cornu cerui, ex sale absinthii, & spiritu uitrioli, aquaue cardui bened. compositi haustus febrifugi *Riuerii*, atque eiusmodi similia.

lium. Neque nos aliud doceat cinnabaris, ac præsertim mercurius dulcis, qui propter uim diffociandi lentorem, & transpirationem, excretionesque omnes promouendi, inter febrifuga merito referatur, & tuto, si recte, adhibetur. Vt taceam saluatione etiam mercuriali febres tolli, cuiusmodi exemplum quartanæ, a se hoc modo curatæ, *VVillisius* habet, *Diatr. de febr. cap. XVI*, cum neminem credam, amplius statuere, hydrargyrum id uirtute absorbendi acidum præstare, atque in numerum alcalium referendum esse.

XI.

Vi autem ac suspicione excitandi febres illas acidum omni ipsa liberant acida. Nam notior est uirtus elix. uitrioli Mynsichti, quam ut dici debeat. Egregios uero ad domandam febrilem materiam, ac per uesicam expellendam, spiritus esse acidos, ex sale communi, uitriolo, & sulphure paratos, si præsertim decoctis radicibus aperientium addantur, inter alios expertus testatur doctissimus *Meibomius*, *Diss. de febr. interm. epidem. §. XLIV*. Quocum bene conuenit obseruatio *Gulielmi Pisonis*, *Hist. nat. & med. Ind. occid. lib. V, cap. 20*, qui, iisdem in febribus

bribus, haustu calido succi limonis recentis, cum sacchari & aquæ fontis tantillo bulliti, ante paroxysmum semel atque iterum exhibito, insultus febriles uel in totum cessasse, uel saltem indies præter expectationem simul cum siti deferbuisse, & intra paucos dies plane expirasse, non semel deprehendit, subsequente manifesto effectu, nimirum urinæ, & inprimis sudorum, larga excretionem. Eodem experimento non solum feliciter Lutetiæ Parisiorum usum Medicum Germanum, hoc quamuis discrimine, quod, loco sacchari & aquæ, uinum addiderit stillatitium, sed etiam Romæ curatam esse tertianam, testis est *Io. Bapt. Ferrarius, Hesperid. lib. III, cap. 34.*

XII.

Perinde cum febribus continuis acutis agitur. Namque si harum indolem introspiciamus, hoc magis mirari debemus, earum itidem causam in acidum referri, quo minus occurrentia in iis phænomena cum data causa conuenire deprehendimus. Quæ etiam ratio fuit, quamobrem febres easdem, harumque inprimis pessimas, utpote insidiosæ & subdole perniciosas, quas uocant malignas, a sale potius contrario uolatili acri dedu-

deducendas alii putarint, e quibus *Francisc. de le boe Syluium*, *Prax. lib. 1, cap. 33*, & *Append. tr. II*, ac *Sim. Pauli*, *Digress. de febr. malign.* nominasse sufficiat. Vt nesciam, quo iure doctissimus *Ramazzinus*, *Diatr. de morb. artific. cap. XLII*, omnes statuerit, qui hac de re scripserint, unanimi consensu horum affectuum causam in acidum uolatile, corrosiuum, efferum, realgari-
num referre, ideoque huiusmodi uenenum inuertendum, infringendum, ac potissimum salium uolatilium usu per glandulas cutaneas abigendum. Quippe si causas antegressas, eaque omnia obseruemus, quæ & ægrotantibus eueniunt, & in defunctis deprehenduntur, hoc omnino necesse est fateamur, istis in febribus sanguinem ad dissolutionem putridam, atque ad acrimoniam alcalinam oleosam uolatilem contendere, ut bona ratione *CL. Boerhauius c. l.* aduertit, quod illa concitatio, ac sæpe incitatissima sanguinis conuersione, cum aucta resistantia ad uasa minima, auctoque adeo tritu partium sanguinis ad uasa illa, acrimonia alia, siue is in orbem rapiatur, siue alicubi hæreat, emergere non possit. Neque aliud nausea & fastidium cibi, sitis uehemens, ructus nidorosi, amaror oris putidus,

tidus, ac putridæ excretiones, præsertim urinæ, hæque non raro cum acidis efferuescentes, purpurea item exanthemata cutis, ac demum cadauerosus decumbentium foetor, atque obuiæ in defunctis gangrænæ & sphaceli, nos doceant, ita ut, cum exereta male olentia, ac putrida, sæpius sint perniciofa, sudor contra, acidum spirans, haud aliter ac ructus acidus, nidorosum sequens, bonus & salutaris esse soleat, ut inter alios laudatus modo *Boerhaavius l. c.* pariter obseruat.

XIII.

Ex quibus etiam causa appareat, quamobrem ea medendi ratio, qua remediorum ope sudoriferorum uolatilium, bezoardicorum, atque alexipharmacorum, quæ uocant, malignitatem expellere, coagulaque humorum dissoluere nituntur, minus feliciter succedat, sed funesta sit plerumque, ac febris, sua natura sæpissime mitis, nec mali omnino moris, ex ipsa methodi lege uere maligna atque exitialis fiat. Namque fieri aliter nequit, quin istorum ui ac impetu remediorum, æstus sanguinis, & dissolutio ipsius, acrimoniaque alcalica augeatur, & multo sudore, præ-

præter modum effuso, atque in auras dissipato humido tenui, id, quod remanet, succorum, crassius, & minus mobile, minusque adeo continuando circulo uitali per uasa minima aptum, fiat, atque ab insequentis feruore sanguinis, trituque uasorum, continue incitatum, & attritum, spiffetur partim, partim in liquidum abeat acerrimum, unde uaria quidem, eaque grauissima sæpe, symptomata, atque exanthemata cutis, & inflammationes, ac gangrænæ demum exitiosæ, non possunt non existere. Atque hac quidem ratione horribili malignitatis nomine eiusmodi perniciosos remediorum effectus haud raro tuto, ipsisque nescientibus medicis, qui ea adhibuerunt, tegi & uelari uideas. Monuerunt id iam pridem non pauci, ex quibus præter *Sennerium* nostrum, *Sydenhamium*, & *Linderum*, legimeretur *Gualt. Harris, de morb. acut. infant. p. m. 80.* & *Obs. VII. de morb. aliq. grauioribus*, ubi causam grauissimi uariolarum mali, quo nuper extincta Magnæ Britanniae Regina, potissimum in abusum theriacæ reiicit.

XIV.

Id quidem rerum usus docet, his in febribus, ipsaque pestilentia, tantum abesse, ut acidum

D

pec-

peccet, ut potius acida, tam odore, quam sapore, insignem utilitatis fructum præbeant, & si ulla alia, alexipharmacorum nomen mereantur. Res sane ipsa ostendit, quantum hic ad temperandum æstum, alleuiendam sitim, frænandam corruptionem, recreandas uires, & mitiganda ac sedanda uaria symptomata, opis & adiumenti afferant, si recte adhibeantur, decocta ex herbis acidis, & aquea diluentia, cum syrupo acetoso, oxalidis, oxymel. uel oxyfaccharo, quibus utebantur ueteres: cum acido mali punici, limonis, citrei, ribium, berber. & similium: cum tincturis acidulis fl. uiolar. rosar. bugloss. borrag. bellid. & papau. rh. cum aceto still. & bezoard. aquaue prophylact. Syluii: cum clyffo antimon. sulph. spiritibus sulphur. uitrioli, salis, & nitri, acidis, & dulc. atque mixtura simplici, grato acore sapida. Omitto salia nitrosa, acidoque pollentia, cum non curationem earum febrium plenam tradere sit animus, sed in gratiam tantum acidi hæc scribam. Testantur id Medici non minus docti, quam experti, in primis Forestus, Montanus, Fernellius, Platerus, Crato, Riuerius, Iordanus, Spigelius, Palmarius, Sennertus, Diemerbroccius, Meniotius, Syluius, Sim. Pauli, permultique alii, ac speciatim in uariolis, in quibus acidum apud mul-

tos

tos male admodum audit, tum putredini oppugnandæ, tum perdomandæ caloris ferociæ, usum spiritus uitrioli, potui tenui, uel aquæ stillatitiæ, ad leuem acorem instillati, tam salutarem deprehendit *Sydenhamius, Obs. med. circa morb. acut. hist. & curat. sect. V, cap. 4*, ut, quod symptomata omnia ad miraculum compesceret, eum, ceu morbo reuera specificum, prædicarit. Quæ cum animo intuemur, mirari subeat, qui tam confidenter ex sola hypothese experientiæ reclamare, & usum acidorum istis in febribus improbare quidam potuerint.

XV.

Melius experientia edocti, & suo, & ægrotantium commodo, ignari hypothesisum, peritissimi, ut *Gul. Piso l. c.* tradit, Indiarum Orient. & Occid. medicastrum, plus præsidii in semine medullaque limonum & citreorum ponunt aduersus febres malignas, & pestilentes, atque ipsa demum uenena, quam in lapide bezoar, & fastidiosa, quam ille uocat, theriacæ compositione. Haud aliter Turcas pesti, malignarum omnium febrium facile principi, mederi, succo limonum, in omne iusculum liberalius instillato, & frustis limonum saccharatis, ore frequenter masticatis, potuque Scherbet, ex aqua, & melle, uel saccharo, apud eos uulgatissimo, quem paulo ante laudaui, *CL. Harris l. c.* testatur, utpote quibus Mithridatium, theriaca Andromachi, radix serpentariæ Virginianæ, & cetera nostrorum remedia calidissima,

ma, alexipharmaca nuncupata, bonis auspiciis, uel prorsus sint incognita, uel nullo saltem loco habeantur. Ita quoque Ægyptios, *Prosp. Alpinus, lib. IV. de Medic. Ægypt. c. 1, & 15*, refert, in febribus ardentibus, atque pestilentibus, potiones ex aqua pura, uel stillat. fruct. berber. & pulpa tamarind. ac semine, acidoque citri, uel limon. omnibus aliis præferre, quas quippe æstum sitimque sedare, & uires reficere, atque putredini illarum febrium obsistere, diuturna obseruatione compertum & cognitum habeant. Neque aliter is in se ipso cognouit usu, cum pestifera correptus febre, cum uehementi biliosa diarrhæa, Aegyptiorum medicorum consilio, eiusdem unius ope remedii, e tam graui morbo recrearetur. Cum his docta facit experientia *Guid. Patini, cum cap. II lib. de uale tud. tuenda*, quem gallice scripsit, fatetur pluris a se fieri malum unum citreum, quam uniuersa officinarum nostrarum cardiaca medicamenta: plus esse in eo præsidii contra perniciales morbos, contra febres, ex humorum putredine ortas, contraque uenena, & pestilentiam ipsam, quam in quouis lapide bezaar, uel in theriaca, & in antidoto Mithridatis.

XVI.

Satis, opinor, innocentia acidi uel ex iis, quæ proposui, morborum generibus cognoscetur. Cum tamen longe plura, quibus idem crimen depelli possit, dicenda restent, doleo temporis nimium breuis rationem non ferre, ut, quæ constitueram, exequi hic possim. Quare hæc in aliud tempus differenda, & alii, qui me sequetur, artis salutaris Candidato, relinquenda est opera, ut continuata, ubicunque occasio sese obtulerit, acidi defensione, error, qui multos occupauit, meliori rerum demonstratione corrigatur, & rei, quæ morbis curandis magnopere conducat, utilitas asseratur.